



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm  
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,  
Speciatim**

**Coninck, Gilles de**

**Antverpiae, 1623**

Dvb. V. An voluntas qua assensus fidei immediatè imperatur, sit  
supernaturalis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

prohibitu quævis res nobis tamquæ veras imaginatione præsentis sistere, non tamen posse simili modo credere eas esse veras; quia ad hoc requiritur aliqua ratio quæ probet eas esse tales. Atque ita illa ratio solum evertit opinionem Caiet. citatam n. 29. nam fides non fertur in obiectum sine vlla omnino ratione.

Ad secundum, nego hoc sequi: quia secundum nostram sententiam fides divina prærequirit rationes quæ euidenter probent sua obiecta esse verè ita credibilia sicut ipsa ea credit.

Ad tertium, nego consequentiam: quia D. Thom. ibi solum docet, intellectum proponendo voluntati aliquod obiectum sub certa ratione amabile, esse causam cur si velit illud amare, eliciat amorem talis aut talis speciei; quia nimirum actus voluntatis specificatur ab obiecto. cum quo optimè consistit, voluntatem alia ratione determinare in intellectum ad specificationem actus, quatenus est causa cur potius moueatur illo obiecto formali ad assensum quam alio ad dissensum, iuxta dicta n. 38.

Ad quartum, nego assumptum: nam etsi obiectum formale fidei moueat intellectum ut firmius accertius assentiat suo obiecto, quam obiecto scientiæ; hoc tamen non provenit ex ipsius obiecti vehementia in mouendo intellectum, sed ex maiore infallibilitate ipsius, & ex constanti imperio voluntatis, quo efficitur ut intellectus summissimè suo obiecto adhæreat, ut fusiùs dicam disp. 14. dub. 5.

Ad quintum, nego consequentiam: quia intellectus non assentitur obiectis fidei propter illas rationes, sed immediatè propter testimonium Dei obscurè creditum.

Ad sextum, nego assumptum: quia ille actus voluntatis ac habitus ei respondens sunt vna virtus fidei, & nomine fidei intelliguntur, ut ostendam n. 71. & 72. & disp. 14. n. 69.

44 Disputant hic præterea aliqui, utrum Deus sine actione voluntatis possit per se immediatè determinare intellectum ut obiecto fidei sufficienter sibi proposito assentiat. Et ratio dubitandi est; quia cum voluntas moueat intellectum etiam ad specificationem actus, videtur habere rationem causæ formalis; Deus autem non potest defectum causæ formalis per se supplere. Sed hi auctores apertè errant: nam, ut patet ex dictis, voluntas non determinat intellectum per modum causæ vel obiecti formalis, (neque enim ipsa villo modo subit rationem obiecti formalis) sed per modum causæ efficientis (sicut alias potentias mouet ad hunc actum potius faciendum quam illum) scilicet immediatè mouendo intellectum ad vehementem apprehensionem, & consequenter ad assensum obiecti formalis fidei, sibi sufficienter proposito; cum posset eum mouere, ut obiectum formale contrarium fortius apprehenderet, ei quæ assentiretur, iuxta dicta n. 38. Quare nullo modo videtur dubitandum, quin Deus sine actu voluntatis intellectum simili ratione determinare possit.

## D V B I V M V.

An voluntas, qua assensus fidei immediatè imperatur, sit supernaturalis?

45 Prima opinio absolute docet, sufficere voluntatem naturalem. Ita Scotus in 3. d. 25. q. 2. s. 1. Ideo dico. ubi ait: Et esto quod requiratur motio positiva voluntatis (scilicet ad eliciendum assensum fidei) etiam sufficit voluntas ad sic mouendum in puris naturalibus.

46 Secunda opinio docet, hanc voluntatem solum esse supernaturalem secundum modum. Ita sentiunt ij, quos citavi disp. 4. dub. 3. n. 38. & quidam alij. Probatur Primò, quia illa voluntas dirigitur iudicio secundum substantiam naturalem: ergo est etiam secundum substantiam naturalem. Secundò, quia potest quis velle elicere actum fidei ob honestatem merè naturalem: ergo potest eum velle elicere actu secundum substantiam naturalem. Tertiò, quia nec ex Scriptura, nec ex Patribus potest probari eam voluntatem esse supernaturalem in substantia.

47 CONCLUSIO I. Omnino certum est hanc voluntatem esse aliqua ratione supernaturalem. Hec est iam communis, & videtur apertè definita in Concilio Arausico. c. 5. ubi dicitur: Siquis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratia donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit; apostolicis dogmatibus contrarius approbatur. Vbi absolute definitur, nos non posse naturaliter & sine auxilio gratiæ habere eum affectum credulitatis, quo voluntas ab infidelitate ad fidem convertitur, ipsum scilicet fidei assensum intellectui imperando. Quæ apertè falsa essent, si hæc voluntas posset naturæ viribus elici.

48 CONCLUSIO II. Hæc voluntas est supernaturalis in sua substantia. Ita Suarez in 3. p. tom. 1. q. 7. a. 3. in commentario. Molina in sua Cōcordia disp. 8. sub finem. ubi ideo ad hanc voluntatem requirit particularem habitum in voluntate: ideoque eiusdem videntur sententiæ ij omnes, qui hunc habitum ponunt, quos citabo dub. 7. Probatur Primò, omnibus iis rationibus, quibus disput. 4. dub. 3. probaui, actus fidei, spei & caritatis esse supernaturales in substantia: nam illæ idem de hoc actu probant. nam Concilia & Patres ad hunc actum absolute & simpliciter requirunt gratiam, docent quæ naturaliter, siue per solas naturæ vires nobis inesse non posse, ut patet ex Arausico citato. nec requirunt hanc gratiam ad eum actum per accidens solum ratione extrinsecæ alicuius difficultatis, sed per se & eodem modo quo eam requirunt ad assensum fidei. ut patet ex eorum verbis.

49 Item, ut ibidem ostendi, & docet D. Thom. 1. 2. q. 114. a. 2. ideo actus nostri, quibus meremur vitam æternam, debent esse supernaturales in substantia, ut media sint fini proportionata: atqui dicta actio voluntatis in homine inest

Qua ratione intellectus determinet voluntatem, & contra ab ea determinetur.

Assensus fidei solum est meritorius quatenus a voluntate imperatur.

verè meritoria vitæ æternæ; imò quòd assensus fidei sit meritorius, solum habet quatenus ab ea voluntate imperatur quæ per se meritoria est: ergo non minùs debet esse supernaturalis in substantia, quàm ipsa fides. Item sicut per assensum fidei homo secundum intellectum eleuatur ad statum supernaturalem, ita etiam per illum actum eleuatur secundum voluntatem: ergo uterque est eodem modo etiam supernaturalis. Et eodem modo omnia argumenta, quibus loco citato probauimus virtutes theologicas esse in substantia supernaturales, possunt huic conclusioni accommodari; nam eam æqualiter probant.

50 Probatum Secundò, quia si hæc voluntas solum esset supernaturalis secundum modum, ad eam elicendam sufficeret illustratio intellectus, nec requireretur præterea distincta gratia in voluntate: atqui hoc est falsum: ergo & illud.

Commoda apprehensio obiecti facilius actum voluntatis.

Maior probatur: quia posita illa sola illustratione intellectus, actus eum sequens, & per modum proponentis obiectum & dirigentis voluntatem ab ea causatus, sufficienter esset secundum modum supernaturalis. Item illa illustratio efficiendo ut intellectus apprehenderet esse honestum & necessarium, siue valde vile mysteria fidei credere, sufficienter voluntatem incitaret ut veller ea credere, & ut superaret omnem difficultatem, quæ aliis in credendo occurreret. quod vel inde patet, quia experientia docet, pro diuersa obiecti apprehensione aliquam volitionem voluntati esse facilem, aut difficilem: atque ad eò in rebus naturalibus sæpè videmus alterius commodam orationem ostendit rem aliquam esse valde vilem, nec ita difficilem, alicuius voluntatem ita mutari ac roborari, ut sine difficultate eligat & aggrediatur id, quod prius ob contrariam apprehensionem nullo modo sibi videbatur posse eligere aut aggredi. Quis igitur neget Deum posse sua illustratione efficere, ut intellectus tali ratione apprehendat obiectum fidei ac voluntati proponat, quæ ipsa sine repugnantia excitet ut velit per intellectum eidem assentiri?

Quo casu, si ille actus, ut sit talis, qualis ad assensum fidei theologice requiritur, non debeat secundum substantiam esse supernaturalis, nulla potest excogitari ratio, cur sine vltiore auxilio gratiæ voluntas nequeat eum elicere.

si. Arrius. Ad eliciendum autem quod dicitur imperatur, requiritur gratia distincta ab illustratione intellectus. Miluit.

Minor probatur Primò, quia Arriuscanum supra expressè & speciatim dicit, nos ad illum affectum siue actum voluntatis elicendum indigere gratia, eamque non vocat illustrationem intellectus, sed inspirationem Spiritus sancti corrigentem ipsam voluntatem, apertè ostendens hanc inspirationem ab illa illustratione distinguui.

Probatum Secundò, quia Mileuitan. c. 4. eorum errores refutans, quos refutat Arriuscanum, expressè distinguit gratiam requisitam ad illustrationem intellectus, quæ veritas siue quid præceptum atque agendum sit prout oportet cognoscitur, ab ea qua voluntas ad id agendum incitatur ac roboratur. & utramque gratiam generatim requirit ad omne præceptum, prout ad salutem expedit, implendum. Cum igitur dum

quis credit rebus fidei sibi sufficienter propositis, impleat fidei præceptum actu supernaturali, & prout expedit ad salutem (nam ille actus est aut conuersionis ac salutis initium in recedens conuersis, aut causa augmenti in ijs qui sunt in gratia) sequitur, eum secundum definitionem Concilij indigere gratia non solum in intellectu, sed etiam in voluntate.

Confirmatur ex August. l. de Gratia Christi c. 11. 12. 13. (ex quo hæc Concilia suas definitiones contra Pelagianos & Semipelagianos præcipuè sumpserunt) ubi ipse utramque hanc gratiam distinguit, & ad fidem ac alia bona opera requirit: atque ita dici nequit alterutram sufficere.

August.

Dices, Tam Concilium Mileuitanum, quàm August. illam gratiam quam præter illustrationem intellectus requirunt, vocant caritatem: ergo solum requirunt distinctam gratiam in voluntate, ad actus caritatis. Respondeo, illa expressè generatim requirere hanc gratiam ad implenda præcepta, inter quæ vnum, & quidem ex præcipuis, est præceptum fidei; faciunt autem mentionem caritatis, ad quam constat nos indigere gratia, ut ab exemplo probent institutum; aut etiam generatim omnem voluntatem, qua præceptum aliquod ex pio in Deum affectu implemus, vocant caritatem; iuxta illud Christi Iohann. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Item quatenus omnis pius erga aliquem affectus generatim dicitur amor siue caritas; actus autem fidei ex pio erga Deum siue primam veritatem affectu imperatur.

Iohann. 14. Omnis pius in Deum affectus potest generali ratione dici caritas.

Ad primum argumentum positum n. 46. nego conseq. Quia per se loquendo, non est necessarium ut voluntas supernaturalis dirigatur intellectu supernaturali; vide dicta num. 18. Ad secundum, nego antecedens: quisquis enim elicit verum actum fidei, vult per hunc adhaerere primæ veritati cuius auctoritate mouetur, quod in se honestum est, atque ita non mouetur honestate merè naturali: nam veracitas & testimonium Dei sunt supra naturam creatam. Quod si auctores illius argumenti vocent obiectum naturale id omne quod naturali amore potest amari, sic fateor illam honestatem posse dici naturalem: sed sic neganda est consequentia; quia, ut ostendi supra disp. 5. dub. 3. actus naturalis & supernaturalis possunt versari circa idem obiectum. Quare ex illo argumento solum sequitur, ex affectu naturali posse imperari fidem naturalem; nullo tamen modo sequitur, illum affectum, quo de facto imperamus actum fidei ad salutem requisitum, non esse in sua substantia supernaturalem. Ad tertium, pater ex dictis: satis enim ostendi ex Patribus & Concilijs colligi, hunc actum esse supernaturalem in substantia: maximè adiunctis rationibus, quibus probamus actus fidei & caritatis esse in substantia supernaturales.

52

53